





25
1817.
SPECIMEN
JURIS PRUDENTIAE
ANTE JUSTINIANEAE

SISTENS
AELII MARCIANI
JURIS CONSULTI
LIBRUM SINGULAREM
AD HYPOTHECARIAM
FORMULAM.

QUOD
D. T. O. M. FAVENTE
INCLITO SENATU JURIDICO ANNUENTE
PRAESIDE

PRAE NOBILICISSIMO ATQUE CONSULTISSIMO DOMINO
FRANC. CHRISTOPHORO WIESEN,
REVERENDISS. ET CLS. S. R. I. PRINCIPIS EPISCOPI BAMBERG. ET WIRCEB.
FRANCIAE ORIENT. DUCIS CET. CFT. CONSILIARIO AULICO, INSTITUTIONUM
IMPERIALIUM ET JURIS FEUDALIS NEC NON CRIMINALIS
PROFESSORE PUBLICO ET ORDINARIO

DISSERTATIONIS LOCO
EDIDIT


TRIBUS RIGOROSIS EXAMINIBUS TENTATUS ET APPROBATUS
GEORGIVS PHILIPPVS SIXTUS,
WIRCEBURGENSIS AA. II. ET PHILOSOPHIAE DOCTOR,
COMPILATOR ET RESPONDENS

CUM SUMMI IN UTROQUE JURE HONORES EI
CONFERRENTUR

WIRCEBURGI IN AUDITORIO JURIDICO
AD DIEM XX. JULII ANNI MDCCCLXXXI.
Horis ante & post meridiem consuetis.

Typis Francisci Ernesti Nitribitt, Universitatis Typographi.







Sacrum Themidos palatum a limine vix ingressus in Collegiis Praenobilis, Clarissimi, Consulissimique viri Iosephi Mariae Schneidt Consiliarii Aulici, Pandectarum & Juris Franconici Professoris publici & ordinarii, percepit, e re literaria Jurisprudentiae Civilis Romanae esse quam maxime, si, qui mutilati & truncati in Pandectis a Triboniano referuntur, Jurisconsulti, in statum, quem habuerunt ante istam dissectionem, integrum resti-

A

tuan-

tuantur; sententiam, quam quisque sicut, sic vide-
ri dentidatam, legesque, quae loco subin inconcini-
no adparent, modo longe faciliori solvi posse. Meae
id usque haesit memoriae, tempusque illuxit, ubi
usui miki extitit. Manum operi admovi, hoc-
que, quod paucis hisce pagellis continetur, specimen
compilavi, in quo praefatus Consultissimus Dominus
methodum id adornandi benignus miki submini-
stravit.



AELII

AELII MARCIANI^o
JURISCONSULTI ROMANI
LIBER SINGULARIS^o
AD HYPOTHECARIAM
FORMULAM.^o



NOTAE AD TITULUM.

a) De Jurisconsulto isto ita scribit HEINEECCUS in historia Iuris Civilis Lib. I. Cap. IV. §. 344. & 345.

§. 344. AELIUS MARCIANUS ALEXANDRI SEVERI tempora attingit. * JAC GOTHOFRED. de Cenotaph. p. 330. quippe qui ANTONIUM CARACALLAM Divum vocat, L. II. §. 3. 4. D. de munere, et honor. et ab ALEXANDRO Imp. rescripto videtur honoratus, L. 4. Cod. ne de stat. defunct. Fuit et ipse Adseffor five PAPINIANI five ULPIANI L. I. D. Ne de stat. defunct. et quod ad Jurisprudentiae studia attinet, inter JCTos exciscundos refertur a V. C. EVERH. OTTONE, in PAPINIANO Capit. XIII. §. 9. p. 298.

* Diversus itaque est ab eo AELIO MARCIANO non Aurelio, ut est apud Pariatorem Legum Mosaic, et Rom. Tit. III. §. 3. qui sub D. PIO Baeticas Proconsul fuit, et ad quem huius Principis rescriptum extat. §. 2. Inst. et L. 2. ff. de his, qui sui, vel alien. Jur. sunt. Cum ergo & Jurisconsultus noster AELIUS vocetur, §. 1. Inst. ad L. Aquil. probabile est, hunc illius filium fuisse. Ad eundem JCTum nostrum pertinere videtur Rescriptum ALEXANDRI SEVERI L. 6. Cod. de Procurat. imo & GORDIANI fortassis L. 4. Cod. de fide Instrument.

Scriptit de Adpellationibus libros II. Institutionum libros XVI. in quibus, observante JAC. GOTHOFREDO de Cenotaph. p. 330. Tomo III. thesaur. Jur. Civ. id potissimum, quod ipsis in rerum argumentis obtinuit, diligentius proposuit. Regularum libros V. Publicorum libros II. Digestorum libros VII. porro libros singulares de Delatoribus: ad hypothecariam formulam: ad SC. Turpilianum, denique notas ad PAPINIANI libros de adulteriis, quos eum non interpretationis, sed reprehensionis causa scripsisse post. FRANC. RAGUELLUM ad L. 1. Cod. de vet. Jur. encl. observat V. C. EV. OTTO in PAPINIANO Cap. XIII. §. 6. et 9. p. 285. et 298.

b)

b) Ab aliis iam animadversum est, et cuivis Digesta pervalenti obseruare licet, TRIBONIANUM in Compilatione Pandectarum certos Authores, qui de materia tractanda specialiter scripsere, pro fundamento posuisse, eorumque Commentarios in frusta discepisse, interpolasse, ordinemque Authoris intervertisse ac interrupisse. Contigit & hoc MARCIANO nostro, cuius opera potissimum in materia de pignoribus usus est TRIBONIANUS. Hunc ego Authorem, quantum fieri potuit, ex fragmentis restitutum hic exhibeo, rubricis & marginalibus instructum. Notas ubiores non addidi, eo, quod illae in ipso Corpore Juris facile inveniri queant. Hoc tamen praenotandum duxi, me ad clariorem editionem obtinendam quatuor editionibus Digestorum usum esse. Erant autem editiones, I. Corpus Juris glossatum in fol. maj. impressum Lugduni anno 1541. apud Antonium Vincentum. II. Corpus Juris Civilis in fol. quod edidit anno 1587. Francofurti Joannes Wechelius. III. Corpus Juris Civilis in 4. execum anno 1705. Francofurti & Lipsiae sumtibus Friderici Knobehii, & Joannis Friderici Gleditschii. IV. Corpus Juris Civilis in fol. anno 1726. typis datum opera SIMONIS VAN LEUWEN Antwerpiae apud Joannem Baptistam Verdussen.

c) Quaenam haec fuerit formula, paneis inquirendum. Hypothecam pacto fuisse constitutam non tantum ex L. 17. §. 2. ff. de pactis, sed & ex eo patet, quod pacti prætorii species fuerit. Quamvis enim hypotheca quoque stipulatione firmari potuerit, L. 4. ff. de Pignorib. ex hac ipsa tamen lege videre licet, eam necessariam hanc fuisse: neque ex eo, quod certa requisita fuerit formula, hincque verba solennia adhibita, mox ad ipsam formulam stipulationis recurrentum est. Sic dotis dictio siebat verbis quibusdam solennibus. Cuj. ad ULP. frag. VI. 1. BAR-NAB. BRISSON, de formul. VI. p. 543. quin tamen stipulatio defideretur, uti ex CAJI Institutionibus II. 9. 3. probare licet, ubi dotis dictiōnem & nulla precedente interrogatione contrahiri posse adfirmat. Dotis ergo dictio in eo consistebat, quod dotem

dicturus summas nominaret, sponsus eandem, Stipulatione haud interposita, acceptaret. Exemplum est apud TERENT. Andr. V. 4. c. 47. ubi Chremis, Dos, Parphile est talenta quindecim, Reponit Pamphilus, accipio. Quae verba ideo pro solennibus habita sunt, quia, ut observat Scholastes, nisi dixisset, accipio, dos non erat. Tales Formiae occurunt in L. 25. L. 44. §. 1. L. 46. §. 1. L. 57. pr. ff. de Jur. dor. In promissione vero doris Stipulatio interponebatur, uti docet CAJUS L. cit. & exemplum exhibit PLAUTUS Trinum. V. 2. v. 34. seqq. Si jam his praemissis considerem, hypothecae constitutionem ad formam cautionum, quarum est species, adaptatam fuisse, eique saepius pactum fiducias accepisse. HEINECC. Antiq. L. II. T. 8. §. 10. L. III. Tit. XV. §. 32. His si fragmenta formulorum hypothecariorum apud GAJUM in libro singulari ad formulam hypothecariam L. 4. & 15. ff. de pignor. addam, iam facile formam quis elicere poterit. Ponamus Titium a Mevio accepisse mille solidos, Titiumque debitorem ita dixisse Mevio creditor: Fundus meus Tuscanus, qui alii nulli obligatus est, 1) propter a te mihi mutuos datos mille solidos tibi hypothecae nomine sit obligatus, 2) & hoc fundo specialiter hypothecae nomine dato coetera etiam mea bona teneantur, quae nunc habeo, & quae postea adquisiero, perinde ac si res haec specialiter suissent obligatae. 3) Ut inter bonos bene agier oportet, ne propter te tuamque fidem frauder, 4) & ad hanc propositionem Mevius reposuerit, accipio. Habebitur formula hypothecae specialis conjuncta cum generali. Haec autem ad pignus applicari haud posse, ex eo elucescat, quod pignus vere tradatur, sive contractus realis oritur. §. ult. Inst. quib. mod. re contrah. obl. L. 1. §. 6. ff. de obl. & act. L. 9. §. 2. ff. de pignor. act. L. 4. pr. & L. 23. ff. de pignor. & hypoth.

1) L. 15. §. 2. ff. de pign.

2) L. 4. ff. cod.

3) L. 15. §. 1. ff. cod.

4) CIC. de offic. III. 15, ad fam. Epist. VII. 12. SIGON, de Judic. I. 5.

ARTI-





ARTICULUS I.

Quomodo pignus & hypotheca ^{a)} differant.

Inter pignus & hypothecam tantum nominis sonus differt.*

* L. s. ff.
de pignor.

ARTI-

- a) De hypothecis et pignoribus praeter alias in SCHOTTO, BUDERO, LIPENIO, JENICHO reperiendos generatim scripsere JACOB. CARMON de diverso hypothecarum Jure. Rostochii 1733. IO. AUG. HELLFELD Diss. de hypotheca mobilium, Jen. 1743. CHR. FRID. LANGEMACK Hypotheken aus philosophischen Gründen bes geleitet. Berlin 1746. BALTH. TILES. Diss. de cautela bey Vers pfändung aller meiner Haab und Güther Regiom. 1725. SAM. STRYK. de constitutione et persecutione pignoris, Hal. 1708. JUST. HENING. BOEHMER. Diss. de diverso pign. et hypothecae Jure. Halae 1718. extat in ejus exercit. ad Pandect. Tom. 3. pag. 802. HENR. COCCEJ. de pignorib. et hypothecis Francof., ,

ARTICULUS II.

Praerequisita actionis pignoratitiae.

Ante omnia probandum est, quod inter agentem, & debitorem convenit, ut res pignori, hypothecae sit; c) sed & si hoc prober auctor, illud quoque implere debet, rem pertinere ad debitorem eo tempore, quo convenit de pignore, d) aut *ad eum*, cuius voluntate hypotheca data sit.*

* L. 23, ff.
de probat.

ARTICULUS III.

Quis pignus dare possit.

Pupillus sine tutoris autoritate hypothecam dare non potest.* Si filius familias pro alio rem pecuniam obligaverit, e) vel servus; dicendum est, ^{* L. 1. ff.} *Quae res* *pignor.* ^{eum}

b) Vid. Controvertent, et dissentient, hic COCCEJUM L. XX. Tit. I. Quæst. I, in Jur. Civil. Controv.

c) De pignoribus et hypothecis conventionalibus scripsere JO. FRID. RHETTI Disput. de Jure hypothecæ conventionalis Frst. 1671. JO. GOTTER. J. KRAUSSE Disput. de requisitis hypothecæ conventionalis in bonis immobilibus constitundæ CAR. FERRIET de pignore conventionali Argent. 1721. JO. NICOL. HERTII Disput. de pignore conventionali tacito Giesf. extat in ejus comment. et opusc. Vol. II. Tom. III. N. 16. CHRIST. LUDW. CRELLII Theses de debito ex hypotheca conventionali Viteb. 1751.

d) Etiam b, f. possessor potest pignus constituere. COCCEJ. Lib. XX. Tit. I. Q. II.

e) Jo. WIEGER de Jure pignor, quæd filius familias.

eum non teneri, licet liberam peculii sui administrationem habeant, sicut nec donare eis conceditur. Non enim usquequaque liberam habent administrationem. Faeti tamen est quaestio, si quaeratur, quo-usque eis permisum videarur peculum administrare? * Hinc si servus rem peculiarem pignori dederit, tuendum est *pignus*, modo ita liberam peculii administrationem habuit, ut alienare eas res possit.* ^{* L. 18. ff.} de *pignor.* Eadem & de filiosfamilias dicta intelligimus.* ^{* L. 19 ff.} *ead.*

ARTICULUS IV.

Quibusnam obligationibus pignus vel hypotheca accedere posse?

Res hypothecae dari posse sciendum est pro quaque obligatione: sive murua pecunia detur, sive dos f) sive emtio vel venditio contrahatur, vel etiam locatio & conductio vel mandatum: & sive pura est obligatio, vel in diem, vel sub conditione: & sive in praesenti contraetu, sive etiam praecedat. Sed & futurae obligationis nomine dari possunt: & non tantum solvendae omnis pecuniae causa, verum etiam de parte ejus, & vel pro civili obligatione, g) vel honoraria, vel tantum naturali. Sed in condi-

B tio-

f) FERD. CHRISTOPH. HARPRECHT *Diss de pign in pacis dotalib. constituto.* Tübinc. 1606. extar in ejus *Dissert.* Vol. I. n. 35.

g) *Quod debito mere civili pignus accedere haud possit, defendit Coccoeus in Jure Civil. controv. L. XIII. Tit. VII. Q. II.*

— — —

tionali obligatione non alias obligantur, nisi conditio extiterit. *

* L. 5. ff.
de pignor.

Dare autem quis hypothecam potest, sive pro sua obligatione, sive pro aliena. b) * Si sub conditione debiti nomine obligata sit hypotheca, dicendum est, ante conditionem non recte agi, cum nihil interim debeatur: Sed si sub conditione debiti conditio evenerit, rursus agere poterit. Sed si praefens sit debitum, hypotheca vero sub conditione, & agitur ante conditionem hypothecaria, verum quidem est, pecuniam solutam non esse; sed auferri hypothecam iniquum est; ideoque arbitrio Judicis Cautiones interponendae sunt; *Si conditio extiterit, nec pecunia solvatur, restitui hypothecam, si in verum natura sit.* *

* L. 13. §.
§. ff. de pi-
gnorib.

Propter usuras quoque, si obligata sit hypotheca, usurae solvi debent. Idem & in poena dicimus. *

* L. 13. §.
6. ff. eod.

POMPONIUS Libro XIII. variarum lectionum scribit, non solum pro pensionibus, sed & si habitacionem deteriore fecerit, culpa sua inquilinus (quo nomine ex locato cum eo erit actio) inventa & illata pignori erunt obligata. i) *

POM-
* L. 2. ff.
in quib.
cauf. pign.
vel hypo-
thec. tac.
constr.

b) MICH. HENR. GRIBNER Disput. de praejudic. tertii ex hypotheca rei immobiliis extrajudiciali Lips. 1703.

i) GUIL. HIERON. BRUCKNER de tacito pignore locatoris in rebus conductoris illatis. Jen. 1704. ANDR. FLOR. RIVINI Progr. de hypo-

POMPONIUS Libro tertio decimo variarum lectio-
num etiam scribit: Si gratuitam habitationem con-
ductor mihi praestiterit, inventa a me domino insu-
lae pignori non esse. k) *

* L. 5. ff.
eod.

ARTICULUS V.

An immisso in possessionem pignus operetur?

Eum, qui in possessionem missus est, ejus, qui rei-
publicae causa abfuerit, si adparuerit, eum do-
lo malo reipublicae causa abesse: Jure in possesso-
ne esse placet, donec solidum solvatur. Eum autem,
qui rerum ejus, qui sine dolo malo Reipublicae cau-
sa absuit, in possessionem missus sit, pignus non con-
trahere; & ideo discedere oportere de posses-
sione. *

B 2

AR-

* L. 17. ff.
de reb. au-
thor. Jud.
posid. fise
L. 19. ff.

hypotheca tacita locatori praedii urbani in illatis, et rustici in de privil.
fructibus Jure Civili competente Lips. 1731. FRANC. JAC. VOIR. cred.
HAYE Diff. de tacito pignore locatoribus competente. Argent. 1737.
JAC. CLAUD. NIC. GOLBERG. Diff. de invectorum et in praedium
rusticum illatorum hypotheca tacita. Argent. 1749. Etiam res
minorum, quae in aedes invehuntur, vel inferuntur, locatori
tacite sunt oppignoratae WALCH Contro. Si Conductor subloca-
tionem iniit, ea, quae a subconductore in aedes sunt illata, atque
invecta, tacite primo locatori haud sunt oppignorata. Idem.

k) Sic et locatori praedii rustici in illata et inventa conductoris tacita
hypotheca haud competit. Idem



ARTICULUS VI.

De effectu pignoris antichretici.

Si *πινόριον*, id est, mutuus pignoris usus pro credito facta sit, & in fundum, aut in aedes aliquis inducatur, eo usque retinet possessionem pignoris loco, donec illi pecunia solvatur: Cum in usuras fructus percipiat, aut locando, aut ipse percipiendo, habitandoque. Itaque si amiserit possessionem, follet in factum actione uti. l)

*L. XI. §.
I. ff. de pi-
gnor.

ARTICULUS VII.

Quaenam res pignori dari possint. m)

Si is, qui bona reipublicae Jure administrat, mutuam

l) Hic tamen pignoris antichretici effectus eo usque procedit, ut fructus percipiendi non excedant usurarum ordinariarum quantitatem. COCCEJ. L. XIII. Tit. VII. Q. V.

m) De rebus tum generali, tum speciali hypothecae seu pignori dannis scripsere E. WORDENHOFF Diff. de concurf, et collisione utriusque hypothecae cum generali, tum specialis Traj ad Rhen. 1751. et in OELRICII Thes nov. Differt, Jurid. Belgic. Vol. I. Tom. II. pag. 691. CHRIST. HENR. PREUNINGH Disput. an res incorporales comprehendantur sub hypotheca generali, in qua mobilium et immobilium tantum mentio facta. Lips. 1773. Job. ULR. Freyberg v. Cramer. Ob nicht diejenigen Creditores, welchen eine General-Hypothec zufiehet, vermitteis der Actionis hypothecariae, das dem Creditori Chyrographario gezahlte Geld, oder die ihm in solutum gegebene Sachen wieder ab-

foec



tuam pecuniam pro ea accipiat, potest rem ejus obligare. n.) *

* L. II. ff.
de pign.

Uſusfructus an poſſit pignori, hypothecaeve dari, quaesitum eſt: o) & ſcribit PAPINIANUS Libro un-
B 3 de-

forderen können? in ejus Werzlar. Vitebnsf. P. 62. p. 43. Ob ein Creditor, der ſich keiner General-Hypothec bedienen will, ſeiner Special-Hypothec verlängert werden können. Idem ibidem P. 93. pag. 140. JOANN. NICOL. HERTIUS Diff. de differen- tis pignoris generalis et specialis. Gies. extet in ejus comment. et opus. Volum. II. Tom. III. WALCHIUS afferit, eum, qui ſolum ſua bona mobilia et immobilia oppignorat, creditori ſuo ex Jure civili hypothecam generalem haud conſtituere.

- n) JO. CHRIST. BEGMANN, Pignora Rerumpublicarum Francof. 1685. extat in collecte, Disp. ejus Vol. novo n. 2. JO. ANDR. BODEN Diff. de quibusdam secretis Imperii pignoribus. Viteb. 1739. JO. CHRIST. BUDAEI Abhandlung von heiligen Pfändern und Al- terthümern des Römischen Reichs. Francf. 1761.
- o) Cum feudum sit species uſusfructus, hinc juvat hic memorare, quā de hypotheca feudali tractarunt. GEORG. HEBERER Disp. de hy- pothec. feud. Viteb. 1717. GEORG. ADOLPH. SCHUBERTH Disp. de consensu temporario Domini directi in hypothecam feudi. Lipſ. 1717. Ejusd. de consensu agnatorum et simultaneo investitorum temporario in hypothecam feudi ibid. 1718. JUST. HENING BOEH- MER. Disp. de hypotheca feudali exprefs Hal. 1718. ext. in exer- cit. ad Pand. Tom. III. pag. 880. JOANN. GODFR. BAUER de hy- potheca feudali abſque consensu agnatorum ei simultaneo investi- torum ſubſtente. Lipſ. 1721. Ejusd. progr. an. et quatenus hy- potheca feudalis confuſione extincta revivifcat? ibidem 1752. Ge.



decimo Responsorum, sive dominus proprietatis con-
venerit, sive ille, qui solum usumfructum habet,
tuendum creditorem, & si velit cum creditore pro-
prietarius agere, non esse ei Jus uti frui invito se,
tali exceptione eum Praetor tuebitur, si non inde
creditorem, & eum, ad quem ususfructus pertinet,
convenerit, ut ususfructus pignori sit. Nam eum
& emtorem ususfructus tuetur Praetor, cur non &
creditorem tuebitur? eadem ratione & debitori ob-
jicitur exceptio. *

* L. II. §.
2. ff. cod.

Jura praediorum urbanorum pignori dari non
possunt, igitur nec conveniri potest, ut hypoth-
ecae sint. *

* L. II. §.
3. ff. cod.

Grege pignori obligato quae postea nascuntur,
tenentur; sed & si prioribus capitibus decedentibus
totus grex fuerit renovatus, pignori tenebitur. *

* L. 13. ff.
cod.

Statu liber quoque dari hypothecae poterit, li-
cet conditione existente evanescat pignus. *

* L. 13. §.
1. ff. cod.

Si quis obligatum servum hac lege emerit, ut
manumittat, competit libertas ex Constitutione Divi
MARCII, licet bona omnia quis obligaverit, quae ha-
bet, habiturusve esset. *

* L. 6. ff.
qui fin.
manumiss.

Tantundem dicendum est, & si lege hac eme-
rit, ne prostituatur, & prostituerit. *

Et

* L. 6. §.
1. ff. cod.

GEORG. LUDOV. BOEHM. progr. de cessione hypothecae feudalis
absque consensu Domino valida. Goetting. 1758. et in ejus ob-
servatione, feudal. n. 13.



Et si in superficiariis legitime consistere creditor
potest adversus quenlibet possessorem: Sive tantum
pactum conventum de hypotheca intervenierit, sive
etiam possessio tradita deinde amissa fuerit. * Sane * L. 13. §.
Divi SEVERUS & ANTONINUS rescripsérunt, ut sine 3. ff. de
deminutio mercedis soli obligaretur praedium su.
perficiarium aut vestigiale.*

* L. 17 ff.

de pigno-

rat. act.

fundta L.

Aliena res utiliter potest obligari sub condicio-
ne, si debitoris facta fuerit. * Si nesciente domino 16. §. 2.
res ejus hypothecae data sit, deinde postea dominus f. eod.
ratum habuerit, dicendum est, hoc ipsum, quod * L. 16. §.
ratum haber, voluisse eum retrocurrere ratihabitio. pignor.
nem ad illud tempus, quo convenit: voluntas autem
fere eorum demum servabitur, qui & pignori dare
possunt. *

* L. 17 ff.

de pigno-

rat. act.

fundta L.

16. §. 2.

f. eod.

* L. 16. §.

2. ff. de

pignor.

Si quis fidejubeat, cum res illius, pro quo fi-
dejussit, pignori data sit, bellissime intelligitur, hoc
ipso, quod fidejubeat, quodammodo mandare, res
suas obligatas esse: Sane si postea sunt ejus res hy-
pothecae datae, non erunt obligatae. *

* L. 16. §.

1. ff. eod.

Eam rem, quam quis emere non potest, quia
commercium ejus non est, Jure pignoris accipere
non potest, ut Divus PIUS CLAUDIO SATURNINO re-
scripsit. Quid ergo, si praedium quis litigiosum
pignori acceperit an excepcione sit summovendus?
Et OCTAVENUS purabat, etiam in pignoribus locum
habere exceptionem. Quod ita ait SCAEVOLA libro

* L. 5. §. 2.

ff. in quib.

caus. pign.

vel hypoth.

rac. caus.

ter-



tertio variarum quaestionum, procedere, ut & in
rebus mobilibus exceptio locum habeat.*

* L. r. §. 2.
ff. quae res
pignor.

ARTICULUS VIII.

De pignore alterato.

Si fundus hypothecae datus sit, deinde major fac-
tus est, totus obligabitur.*

* L. 16. ff.
de pigno.

Si res hypothecae data postea mutata fuerit, *rib.*
aeque hypothecaria actio competit, veluti de domo
data & horreo facta: item si de loco convenit, &
domus facta sit; item si de loco dato deinde vineis
in eo positis.*

* L. 16. §.
2. ff. cod.

ARTICULUS IX.

De re pluribus pignori data.

Si duo pariter de hypotheca paciscantur, in quan-
tum quisque obligatam habeat hypothecam,
utrum pro quantitate debiti, an pro partibus dimi-
diis, quaeritur? Et magis est, ut pro quantitate de-
bitti pignus habeant obligatum. Sed uterque si cum
possessore agar, quemadmodum? urrum de parte
debiti quisque? an de toto? quasi utriusque in solidum
res obligata sit? quod erit dicendum, si eodem die
utriusque pignus datum est separatim; sed si simul illi
& illi, si hoc actum est, uterque recte in solidum
aget; si minus, aget unusquisque pro parte. *

* L. 16. §.
8. ff. de
pignoribus.

Credi-

Creditor, qui prior hypothecam accepit, sive possideat eam, & alias vindicet hypothecaria actione, exceptio priori utilis est; si non mihi ante pignoris hypothecaeve nomine sit res obligata, sive ab alio possidente, prior creditor vindicet hypothecaria actione, p) & ille excipiat; si non convenit, ut sibi res sit obligata, hic in modum supra relatum replicabit. Sed si cum alio possessore creditor secundus agat, recte ager, & adjudicari ei poterit hypotheca, ut tamen prior cum eo agendo ei rem auferat. q) *

C

Si

** L. 12. ff.
qui porio-
res in pi-
gnor.*

p) Confer, COCEJ. I. c. Lib. XX. Tit. IV. Quæst. I. 2. 5. et 7. nec non Tit. VI. Quæst. 8.

q) De hypothecaria actione tractarunt MATTH. INDEN Disp. de actione hypoth. Alt. 1590. HENR. BALTH. ROTH. Casus de hypoth. act. Jen. 1684. GEORG. AUG. MALCOMESIUS de act. hypoth. Gies. 1639. PETR. BUCHER Disp. de act. hypothecaria Traj. ad Rhen. 1698. JO. FLOR. RIVIN. Disp. de libello in action. hypoth. formando. Lipf. 1709. FRANC. JOS. WEIDMANN de praescriptio-
ne actionis hypoth. Francof. 1713. RUD. HENR. ZIEGLER de action. hypothec. contra tertium instituenda. Erford. 1731. JOANN. WOLF. TRIERI Progr. de formula actionis hypothecarie. Francof. 1738. EVERH. PAN. Disp. de action. hypoth. Ultraj. 1739. CHRIST. LUD. CRELL de actione adversus Magistratum hypothecam in rebus aliis jam obligatis constituentem creditorri competente Viteb. 1748. AUG. A. LEYSER de actione hypothecaria, extat in ejus Meditat. Pand. spec. 224. HERM. BECKER Progr. de action. hypothecaria Legatariis ex L. 1. C. Comn. de legat contr. Cohabedes competente non ipso jure divisa Gryph. 1768. SIM. HENR. MÜ-

SAEUS



Si quoniam non restituebat rem pignoratam possessor, condemnatus ex praefatis modis, litis aestimationem exsolverit, an perinde secundo creditori tenetur, ac si soluta sit pecunia, priori creditori, quaeritur? & recte puto hoc admittendum esse. *

* L. 12. §.
1. ff. cod.

Si prius, qui sine hypotheca creditur, post secundum, qui utrumque fecit, ipse hypothecam accepit, sine dubio posterior in hypotheca est. Unde si in diem de hypotheca convenit, dubium non est, quin potior sit, licet ante diem cum alio creditore pure de eadem re convenerit. v)*

* L. 12. §.
2. ff. cod.

Si idem bis, id est ante secundum & post eum crediderit, in priore pecunia potior est secundo, in posteriore tertius est. s)*

* L. 12. §.
3. ff. cod.

Si tecum de hypotheca paciscatur debitor, deinde idem cum alio tua voluntate, secundus potior erit; pecunia autem soluta secundo, an rursus teneatur

SAEUS de libello alternativo in hypothecar. action. admittenda. Kilon. 1701, questionem; an nomine oppignorato detur creditori actio hypothearia, discutit WALCH. Jur. Civ. controv.

v) Si in una, eademque re pluribus diversis temporibus pignus est constitutum, ille praeferrur, qui unico momento est prior WALCH. ibidem. Si concurrunt hypothecae publicae tacitae ac privatae, praferuntur his tacitae, haec una cum publicis loco secundum illorum aetatem promiscue, WALCH, loc. cit.

s) HERM. MEYERER de pignoribus, hypothecis, & praferentis creditorum. Francof. 1697. & 1611.

tur tibi, recte quaeritur? erit autem facti quaestio agitanda, quid inter eos actum sit: utrum ut discedatur ab hypotheca in totum, cum prior concessit creditor, alii obligari hypothecam, an ut ordo servetur, & prior creditor secundo loco constituatur? *

L. 12, §.
4. ff. eod.

PAPINIANUS libro undecimo responcionum scribit, si prior creditor postea novatione facta eadem pignora cum aliis accepit, in suum locum eum succedere. Sed si secundus non offerat pecuniam, posse priorem vendere, ut primam tantum pecuniam expensam ferat, non etiam, quam postea credidit, & quod superfluum ex anteriore accepit, hoc secundo restituat. t) *

L. 13, §.
5. ff. eod.

N.B. in
Corpo
Jur. glos-
sario inci-
pit hic L.
L. 13, ff.

Sciendum est, secundo creditori rem teneri etiam invito debitore tam in suum debitum, quam in primi creditoris, & in usuras suas, quas primo creditori solvit, usuras non consequetur: non enim negotium alterius gessit, sed magis suum. Et ira qui pot. in PAPINIANUS Libro tertio Responsorum scripsit: Et verum est. *

*L. 12, §.
6. D. eod.

& respecti-
ve L. 13.


Si simpliciter convenisset secundus creditor de hypotheca, ab omni possessore eam auferre poterit praeter priorem creditorem, & qui ab eo venit. *

*L. 12, §.
7. ff. eod.

C 2

A

) Si creditor hypothecarius in novam oppignorationem consensit, per id Jus reale hanc perdit, sed solum locum, quem tenuit, novo relinquit creditori. WALCH, l. cit.



A Titio mutuatus pactus es cum illo, ut ei praedium suum pignori hypothecaeve esset: deinde mutuatus es pecuniam a Mevio, & cum eo pactus, ut, si Titio desierit praedium teneri, ei teneatur: tertius deinde aliquis dat mutuam pecuniam tibi, ut Titio solveres, & paciscitur tecum, ut idem praedium sibi pignori, hypothecaeve sit, & locum ejus subeat: Num hic Mevius tertio potior est, qui pactus est, ut Titio soluta pecunia impleatur conditio, & tertius de sua negligentia queri debeat? Sed tamen & hic tertius creditor secundo preferendus est. *

* L. 18. §.
8. ff. eod.

Si Titius creditor pignora sua distrahi permittat, ad hoc, ut priori pecunia soluta in aliud pignus priori succedat, successorum eum, PAPINIANUS Libro decimo Responsorum scripsit: & omnino secundus creditor nihil aliud Juris habeat, nisi ut solvat priori, & loco ejus succedat. u) *

* L. 12. §.
9. ff. eod.

Si priori hypotheca obligata sit, nihil vero de venditione convenerit, posterior vero de hypotheca vendenda convenerit; verius est, priorem potiorem esse: nam & in pignore placet, si prior convenerit de pignore, licet posteriori res tradatur, adhuc potiorem esse priorem. *

* L. 12. §.
10. ff. eod.

AR-

u) CHRIST. PHIL. RICHTER de Hyperocha seu de eo, quod amplius est in pignore. Jen. 1668.

ARTICULUS X.

De Successione Creditorum in locum priorum.

Cum secundus creditor oblatâ priori pecunia in locum ejus successerit, ^{x)} venditionem ob pecuniam solutam & creditam recte facit. *

Si secundus creditor, vel fidejussor soluta pecunia pignora suscepint, recte eis offertur, quamvis emtionis titulo ea tenuerint. *

* L. 5. ff.
de diff. pignor.

* L. 5. §. 1.
ff. eod.

ARTICULUS XI.

De pignore a creditore pignori dato.

Cum pignori rem pignoratam accipi posse placuerit, quatenus utraque pecunia debetur, pignus secundo creditori tenetur, & tam exceptio, quam actio utilis ei danda est. Quodsi Dominus solverit pecuniam, pignus quoque perimitur. Sed potest dubitari, nunquid creditori nummorum solutorum nomine utilis actio danda sit, an non: quid enim si resoluta fuerit? & verum est, quod POMONIUS libro septimo ad Edictum scribit: siquidem pecuniam debet is, cuius nomen pignori datum est, exacta ea creditorem se compensaturum: Si vero corpus is debuerit, & solverit, pignoris loco futurum apud secundum creditorem. *

C 3

AR.

* L. 13. §.
2. ff. de
pign.

^{x)} THOM. SIEGFR. RING de Jure offerendi posterioribus hypothecariis contra priores competente Francof, 1700.

ARTICULUS XII.

De variis pactis hypothecae adjectis. y)

Potest ita fieri pignoris datio hypothecaeve, ut, si intra certum tempus soluta non sit pecunia, jure emitoris possideat rem, justo pretio tunc aestimandam; hoc enim casu videtur quodammodo conditionalis esse venditio, & ita Divi SEVERUS & ANTONINUS rescripsierunt.*

*L. 16. §.
9. ff. ead.

Item illud, inquit POMPONIUS, voluntare Domini induci pignus ita posse, ut in partem debiti sit obligatum.*

*L. 5. §. 1.
ff. in quib.
caus. pign.

Quaeritur, si pactum sit a creditore, ne licet a debitori hypothecam vendere, vel pignus, quid Iuris sit? & an pactio talis sit nulla, quasi contra Jus sit posita, ideoque Jure venire possit. Et certum est, nullam esse venditionem, ut pactioni stetur.*

*L. 7. §. 2.
ff. de diffr.

Re pignoris nomine data, & possessione tradita, pign.
deinde a creditore conducta; convenit, ut is, qui hypothecam dedisset, pro colono in agro, in aedibus autem pro inquilino sit, & per eos creditor poscidere videtur.*

*L. 37. ff.
de adquir.
vel emiss.
poss.

ARTI-

y) JO. PAUL. TRAMMER, de effectu hypothecae post resolutionum dominium constituentis. Lips. 1741. H. E. de LAFFERT de hypotheca per resolutionem additionis in diem sub conditione resolutiva non sublata. Goett. 1749.

ARTICULUS XIII.

De pignore a creditore vendito.

Si creditor pignus vel hypothecam vendiderit hoc pacto, ut liceat sibi reddere pecuniam, & pignus recuperare: an si paratus sit debitor reddere pecuniam, consequi id possit? Et JULIANUS libro undecimo Digestorum scribit, recte quidem distractum esse pignus; coeterum agi posse cum creditore, ut, si quas actiones habeat, eas cedat debitori. Quod autem JULIANUS scribit in pignore, idem & circa hypothecam est.*

* L. 7. ff.
de diff. pign.

Illud inspiciendum est, an liceat debitori, si hypotheca venierit, soluta pecunia eam recuperare. Et siquidem ita venierit, ut si intra certum tempus a debitore pecunia soluta fuerit, emtio refundatur, intra illud tempus pecunia soluta recipiet hypothecam; si vero tempus praeterierit, aut si non eo patet res venierit, non poterit rescindi venditio, nisi debitor sit minor annis viginti quinque, aut pupillus, aut reipublicae causa absens, vel in aliqua earum causarum, ex quibus Edicto succurritur. z) *

* L. 7. §. 1.
ff. cod.

ARTI-

z) Conf. Emblem. Trib. aquad LUDW. p. m. 46.

ARTICULUS XIV.

De debitore pignus repetente.

Si pecuniam debitor solverit, potest pignoratitia
actione uti ad recuperandam ^{avtoregantur}, nam cum
pignus sit, hoc verbo poterit uti. *

* L. 33. ff.
de pignor.
act.

ARTICULUS XV.

De vindicatione pignoris.

In vindicatione pignoris quaeritur, an rem, de qua
actum est, possideat is, cum quo actum est?
nam si non possideat, nec dolo fecerit, quo minus
possideat, absolvitur debet. Si vero possideat, & aut
pecuniam solvat, aut rem restituat, aequo absolvitur;
si vero neutrum horum faciat, condemnatio
sequetur. Sed si velit rem restituere, nec pos-
sit, forte quia res abest, & longe est, vel ut in pro-
vinciis, solet cautionibus res explicari; nam si cave-
rit se restituturum, absolvitur. Si vero dolo qui-
dem desit possidere, summa autem ope nifus, non
possit rem ipsam restituere: Tanti condemnabitur,
quanti auctor in item juraverit; sicut in coeteris in
rem actionibus. Nam si tanti condemnatus esset,
quantum deberetur, quid prodebet in rem actio,
cum & in personam agendo idem consequeretur. *

* L. 16. §.
3. ff. de
pign.

Interdum etiam de fructibus arbitrari debet Ju-
dex, ut ex quo lis inchoata sit, ex eo tempore etiam
de

de fructibus condemnnet; quid enim si minoris sit praedium, quam debetur? nam de antecedentibus fructibus nihil potest pronunciare, nisi res extent,
& res non sufficit.*

* L. 16. §.
4. ff. eod.

ARTICULUS XVI.

De adjudicatione hypothecae, & illius effectu.

Creditor hypothecam sibi per sententiam adjudicata tam quemadmodum habiturus sit, quaeratur? nam dominium ejus vindicare non potest. Sed hypothecaria agere potest: & si exceptio objiciatur a possessore rei judicatae, replicet, si non secundum eum judicatum est.*

* L. 16. §.
5. ff. de
pignor.

Si pluris condemnatus fit debitor non restituendo pignus, quam computatio sortis, & usurarum faciebat, an si tantum solverit, quantum debebat, exoneretur hypotheca? quod ego quidem, quantum ad subtilitatem legis aut autoritatem sententiae, non probbo. Semel enim causa transire videretur ad condemnationem, & inde pecunia deberi. Sed humanius est, non amplius eum, quam quod revera debet, bat dando hypothecam liberare.*

* L. 16. §.
5. ff. eod.

ARTICULUS XVII.

Quomodo hypotheca extinguatur?

Etiam si creditor judicatum debitorem fecerit, hypotheca manet obligata, quia suas conditiones

D ha-



habet hypothecaria actio; id est, si soluta est pecunia, aut satisfactum est, quibus cessantibus tenet. Et si cum defensore in personam egero, licet is mihi satis dederit, & damnatus sit, aequa hypotheca manet obligata. Multo magis ergo si in personam actum sit, sive cum reo, sive cum fidejussore, sive cum utrisque pro parte, licet damnati sunt, hypotheca manet obligata. Nec enim per hoc videatur satisfactum creditori, quod habet judicati actionem.*

* L. 13. §.
4. ff. de pi-
guorib.

Solvitur hypotheca, & si ab ea discedatur, aut pacificatur creditor, ne pecuniam perat: nisi, si quis dicat, pactum interpositum esse, ut a persona non petatur: & quidem si hoc actum sit, cum forte alias hypothecam possideat? sed cum pactum conventum exceptionem perpetuam pariat, eadem & in hoc casu possunt dici, ut & ab hypotheca discedatur. *

* L. 5. ff.
quib mod.
pign. vel
hypothec.
solu.

Si pacificatur creditor, ne intra annum pecuniam perat, intelligitur de hypotheca quoque idem pactus esse.*

* L. 5. §.
1. ff. cod.

Si convenerit, ut pro hypotheca fidejussor daretur, & darus sit, satisfactum esse videbitur, ut hypotheca liberetur. Aliud est, si Jus obligationis venderit, creditor, & pecuniam acceperit: tunc enim manent omnes obligationes integrae, quia pretii loco id accipitur, non solutionis nomine.*

* L. 5. §.
2. ff. cod.

Satisfactum esse creditori intelligitur, & si Jus-
ju-



=====

jurandum delatum datum est, hypothecae rem non
esse obligatam. *

*L. 5. §.
3. ff. eod.

Sicut re corporali extincta, ita & ususfructu
extincto pignus hypothecave perit. *

*L. 8. f.
cod.

Creditor, neres pignori, hypothecae sit, pa-
cisci potest, & ideo, si haeredi pactus fuerit, ei
quoque proderit pactum, cui is restituit haeredita-
tem ex SCto Trebelliano.*

*L. 8. §. I.
ff. eod.

Si Procurator debitoris in rem suam pactus sit,
non puto dubitari debere, quin pactum noceat cre-
ditori. Itemque & si a parte creditoris Procurator
in rem suam extiterit, paciscendo inutilem sibi faciet
hypothecariam actionem, in tantum, ut putem recte
dici, & dominis litis hoc casu nocere hanc exceptio-
nem. *

*L. 8. §.
2. ff. eod.

Si convenerit, ne pars dimidia pro indiviso pi-
gnori sit, quaecunque fundi ejus pars a quolibet
possessore petatur, dimidia non recte petetur. *

*L. 8. §. 3.
ff. eod.

Si plures rem communem dederint pro indiviso,
& cum uno creditor paciscatur, ne hypotheca sit,
deinde ab eo perat: Etiam si is, cum quo pactus est,
solidum fundum possideat pro indiviso, quia de par-
te convenisset, non repellat eum a toto. *

*L. 8. §. 4.
ff. eod.

An pacisci possint filiusfamilias & servus, ne res
pignori sit, quam peculiariter hypothecae accep-
rint, & si habent liberam peculii administrationem,





videamus, an, quemadmodum donare non possunt, ita nec pacisci, ne pignori sit, possint? sed dicendum est, ut concedere possint: scilicet si pretium pro pactione accipient, quasi vendant. *

*L.8.§.5.
ff. eod.

Si voluntate creditoris fundus alienatus est, invercunde applicari sibi eum creditor desiderat. Si tamen effectus sit securus venditionis. Nam si convenierit, non est satis ad repellendum creditorem, quod voluerit venire. *

*L.8.§.6.
ff. eod.

Supervacaneum est quaerere, agrum specialiter hypothecae datum permisso creditoris venisse, si ipse debitor rem possideat: nisi quod potest fieri, ut debitor permisso creditoris vendiderit, deinde postea bona fide redemerit ab eodem, vel ab alio, ad quem per successionem ea res pertinere coepisset; aut si ipse debitor emtori haeres extiterit. Veruntamen cum pecunia soluta non sit, doli mali suspicio inerit translata ad praesens tempus, ut possit creditor replicacionem doli mali objicere. *

*L.8.§.7.
ff. eod.

Illud videamus, si Titius debitor voluntate creditoris sui vendiderit Mevio, vel ei, a quo Mevius emerat, & postea Mevius Titio haeres extiterit, & creditor ab eo petat, quid Juris sit? Sed iniquum est, auferri ei rem a creditore, qui non successionis Jure, sed alio modo rem naelus est. Potest tamen dici, cum Titii dolus in re versetur, ne creditor a possessore pecuniam recipiat, iniquissimum esse, ludificari eum. *

*L.8.§.8.
ff. eod.

Quodsi



Quod si is fundus alicui a Mevio obligatus possideatur, cui nondum satisfactum erit, tunc rursus aequum erit, excipi, si non voluntate creditoris veniat; licet enim dolus malus debitoris interveniat, qui non solvit, tamen secundus creditor, qui pignori accepit, potior est.*

* L. 8. §. 9.
ff. eod.

Tutius tamen est, si debitor a creditore petat, ut ei permittat pignus vendere, quo magis satisfaciat, antea cautionem accipere ab eo, qui rem emturus erit, ut premium rei venditae usque ad summam debiti creditori solvatur. *

* L. 8. §§.
10. ff. eod.

Venditionis autem appellationem generaliter accipere debemus, ut & si legare permisit, valeat, quod concessit, quod ita intelligemus, ut & si legatum repudiatum fuerit, convalescat pignus. *

* L. 8. §.
11. ff. eod.

Si debitor vendiderit rem, nec tradiderit, an repellatur creditor, cum adhuc res in bonis sit debitoris, an vero, cum teneatur ex emto, pignus extinguitur? Quod & magis est. Sed quid, si premium vendori consecutus non sit, nec paratus sit emtor dare? Tantundem potest dici. *

* L. 8. §.
12. ff. eod.

Sed si permiserit creditor vendere, debitor vero donaverit, an exceptione illum creditor summoveat? An facti sit magis quaestio? Et nunquid ideo venire velint, ut prelio accepto ipsi quoque res expediatur? Quo casu non nocebit consensus. Quod si in dotem dederit, vendidisse in hoc quidem casu re-

Et videtur propter onera matrimonii. In contrarium, si concederit donare, & vendiderit debitor, repelletur creditor: nisi quis dicat ideo concessisse donari, quod amicus erat creditoris, cui donabatur.*

* L. 8. §.
13. ff. eod.

Quodsi concederit decem vendere, ille quinque vendiderit, dicendum est, non esse repellendum creditorem. In contrarium non erit querendum, quin recte vendiderit, quam concessit creditor.*

* L. 8. §.
14. ff. eod.

Non videtur autem concessisse creditor, si sciente eo debitor rem vendiderit, cum ideo passus est venire, quod sciebat, ubique pignus sibi durare; sed si subscripterit forte in tabulis emtionis, concessisse videtur: nisi manifeste appareat, deceptum esse. Quod observari oportet, et si sine scriptis consenserit.*

* L. 8. §.
15. ff. eod.

Si debitori concessum sit, & haeres ejus vendiderit, potest facti quaestio esse, quid intellexerit creditor? Sed recte venisse dicendum est; haec enim subtilitates a Judicibus non admittuntur.*

* L. 8. §.
16. ff. eod.

Si debitor forte concessa venditione rem desierit possidere, & novus possessor vendiderit: an durar pignus, quasi persona permitserit creditor? quod magis est. Nam et si novo possessori, non debitori, a quo hypothecam accepit, concessit creditor vendere, dicendum est, nocere ei exceptio nem.*

* L. 8. §.
17. ff. eod.

Si

Si intra annum, aut biennium concesserit, creditor vendere, post hoc tempus vendendo non auffert pignus creditoris.

* L. 8. §.
18. ff. cod.

Si creditor hypothecaria usus a possessore aestimationem litis confecurus fuerit, & a debitore petat debitum, puto, doli mali exceptionem ei obstaturam.

* L. 8. §.
19. ff. cod.

Solutam pecuniam intelligimus utique naturaliter, si numerata sit creditoris. Sed & si iussu ejus alii solvatur, vel creditoris ejus, vel futuro debitori, vel etiam ei, cui donaturus erat, absolvit delictum. Ramam quoque solutionem si creditor habuerit, idem erit. Tutori quoque, si soluta sit pecunia, vel curatori, vel procuratori, vel cuiilibet successori, vel servo actori, proficiet ei solutio. Quod si accepto latum sit, id, propter quod stipulationis nomine hypotheca erat obligata, vel sine stipulatione accepta sit; solutionis quidem verbum non proficiet, sed satisfactionis sufficiet.

* L. 49 ff.
de solut.

E P I L O G U S.

Doctorum genio si labor iste arrideat, mihi que Superi otia & vires faceant, plura ejusmodi specimen sum exhibitus.



E

X2338862

VD 18

ULB Halle
007 771 789

3



B.I.G.

Farbkarte #13

Centimetres

Blue

Green

Yellow

Red Magenta White 3/Color Black

8
7
6
5
4
3
2
1
0
Inches
1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18
19

PECIMEN 1781,7.
IS PRUDENTIAE
TE JUSTINIANAE
SISTENS
H. MARCIANI 14
URIS CONSULTI
RUM SINGULAREM
YPOTHECARIAM
ORMULAM.
QUOD
O. M. FAVENTE
LYTO SENATU JURIDICO ANNUENTE
PRAESIDE
CLARISSIMO ATQUE CONSULTISSIMO DOMINO
CHRISTOPHORO WIESEN,
CLESISS. S. R. I. PRINCIPIS EPISCOPI BAMBERG. ET WIRCEB.
DUCIS CET CFT. CONSILIARIO AULICO, INSTITUTIONUM
LIIUM ET JURIS FEUDALIS NEC NON CR. MINALIS
PROFESSORE PUBLICO ET ORDINARIO
SERTATIONIS LOCO
EDIDIT
POROSIS EXAMINIBUS TENTATUS ET APPROBATUS
IUS PHILIPPUS SIXTUS,
RGENSIS AA. LL. ET PHILOSOPHIAE DOCTOR,
COMPILATOR ET RESPONDENS
II IN UTROQUE JURE HONORES EI
CONFERENTUR
EBURGI IN AUDITORIO JURIDICO
XX. JULII ANNI MDCCCLXXXI.
oris ante & post meridiem consuetis.
ancisci Ernesti Nitribitt, Universitatis Typographi.

